63

Illustres ac Nobilissimi Domini Curatores,

Quandoquidem cùm in alijs Academijs, tùm etiam in hac Schola Illustri à primâ illius fundatione in præsens usq tempus usitato more ac consuetudine receptum est, ut vel novi Rectoris Magnifici designatio, vel prioris continuatio singulis annis, et quidem stato tempore ac consuetâ solennitate celebretur, intermittere nequaquam debuimus, quin Illustrib. Ampl^bus^ V^ris^ necessariam huius solennitatis memoriam debitâ observantiâ refricaremus, atq hanc potissimum ob causam, quòd tempus huic negotio destinatum paulatim appropinquet, imo nobis tantùm non imminent. Cùm verò ordinarius ac constitutus dies decimus septimus huius mensis Septembris iam cadat in diem Dominicum, non abs re facturos nos confidimus, si in posterum Lunæ diem hanc nostram solennitatem differamus, modò de Illustrium Ampl^um^ V^rarum^ voluntate circa novi Rectoris Magnifici designationem, vel Præsentis huius continuationem nobis tempestivè constare possit, quam ut nobis quamprimum impertiri dignentur, etiam atq etiam, obnixè et officiosè rogamus;

Illustribus Amplitudinibus Vestris
addictissimi Rector ac Professores Illustris Scholæ
ac Collegij Auriaco-Bredani

atq illorum nomine

Bredæ 4. Septembris 1651.

Johannes Jacobus Hausman, Secretarius

© British Library
MS Egerton 1859, f. 63-64
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5174

Illustribus ac Nobilissimis Dominis
Domino Johanni a' Kerckhoven Heenvlietio
Domino &c. Serenissimae Principis Auriacae Aulae
Praefecto &c. nec non
Domino Constantino Huygens, Equiti Zulichemi
Domino &c. Celsiss. Principis Arausionensis Con-
siliario & Secretario primario. &c. &c.

41x

Illustribus ac Nobilissimis Dominis,

Domino Johanni à Kerckhoven, Heenvlitiæ

Domino &c. Serenis. Principis Auriacæ Aulæ

Præfecto &c. nec non

Domino Constantino Huygens, Equiti, Zulichemi

Domino &c. Celsiss. Principis Arausionensis Con-

siliario & Secretario primario. &c. &c.

© British Library
MS Egerton 1859, f. 63-64
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5174